



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Sermo II. Studiosum litterarum. Artiumque liberaliu[m], ac virum  
litteratum debere esse in semetipso Aedificatorem Domus Sapientiae. Nisi  
Dominus aedificauerit Domum, in vanum laborauerunt qui aedificant ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



## SERMO II.

### STUDIOSUM LITTERARVM

Artiumque liberalium, ac Virum litterarum  
debere esse in se Ædificatorem

### DOMVS SAPIENTIÆ.

*Nisi Dominus adificaverit Domum, in vanum  
laboraverunt, qui adificant eum. Psalmo cxxvi. I.*

*Sapientia adificavit sibi Domum. Proverb. ix. I.*

---

### ARTICULUS I.

#### FELIX ADPRECATIO

*Et finis Sermōnum Dominicalium de*

#### ARCHITECTVRA CHRISTIANA



ONVENISTIS iterum Academici, & vos  
imprimis Adolescentes mihi percarī in  
hoc non magis Artium ingenuarum, quàm  
virtutum Christianarum Gymnasio, ideo-  
que veræ Sapientiæ Domo. Sit DEO Vni Trinoque  
honor & gloria, DEIPARÆ virgini, & Tutelaribus  
Divis, Patronis Optimis gratiarum actio. Conveni-  
stis, vt animadverto, sani corpore. Sit vobis, precor  
semper mens sana in corpore sano. Convenistis, ut  
spero, magnis ad studia Sapientiæ animis. Quæto vos,  
con-



ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 21

continue eadem non minore spiritu. Convenistis, ut confido, inflammatis proficiendi desideriis: nunquam intepeſcant, id equidem deſidero. Convenistis, ut firmiter mihi perſuadeo, omnibus inſtructi ad Sapien-  
 tiæ cultum præſidiis: nihil eorum deſit, toto anni de-  
 curſu. id expeto. Convenistis, de quo non ambigo, ut quæ comparabitis annuo ſtudiorum curriculo, im-  
 primis ad DEI Opt. Max. honorem, tum ad ſalutem quoque veſtram impendatis, nunquam ab hoc ſcopo aberrantes. ita voveo. Ob hæc, & quæ his continen-  
 tur plura, ſunt renovata paucis ante diebus, feliciter, ut me iuvat credere, Litterarum ſtudia, Grammaticæ, Poëſeos, Rhetorices, Philoſophiæ. Celebratus eſt, ut dicere ſoletis, *Ascenſus*. Sit felix fauſtumque. U-  
 num ſuper eſt, ut reſtauretur æquè ferventer ſtudium Pietatis ac virtutum omnium, & vt reddatur Studio-  
 ſus litterarum, Studioſus virtutum. Idcirco nos hic convenimus, & conveniemus porro, diebus per annum dominicalibus. Vtinam! qui ardor eſt plerorumque ad novos novæ ſcholæ, ad quam ſunt promoti, libros, eundem huc conferant ad DEI cultum, & ſtudia pietatis, quæ hic promovere conabimur. Ma-  
 giſtris ac profeſſoribus veſtris ea eſt demandata cura, ut voſ efficiant, quantum in ipsis eſt, adoleſcentes do-  
 ctos, doctos Grammaticos, Poëtas, Rhetores, do-  
 ctos Philoſophos. Et, ſi vnquam aliàs, hoc anno in id conſpirarunt incredibili animorum affectu ardore-  
 que, effectum quemadmodum ſpero in anni decuſu videbimus. Mihi vnica relicta eſt cura, nec aliam depoſco, ut vos faciam Adoleſcentes bonos, id eſt, virtutibus Chriſtianiſ exultos, & egregios, Gramma-  
 ticos, Poëtas, Rhetores, Philoſophos. Huc ſemper collimabo. Si faciam vos bonos piosque Adoleſ-  
 centes, nihil deſiderabo amplius. Sed hic labor, hoc opus eſt.

B. 3

Lu-



LVBET autem ordiri hoc annuarum mearum  
 Commentationum initio ab accommodatissima tem-  
 pori & instituto meo sententia Regis virtutum stu-  
 diosissimi Davidis: *Nisi Dominus ÆDIFICAVERIT Do-  
 mum, in vanum laboraverunt, qui adificant eam.* Siqui-  
 dem hac dominica celebratur *Dedicatio Domus DEI* seu  
*Basilicæ Salvatoris*, de quâ, omissis Dominicæ officio,  
 cantantur, recitanturque solemniter, quæ ad Templi in-  
 augurationem consecrationemque spectant. Et con-  
 stitui hoc anno, in Auditorum meorum fundo, (ita ani-  
 mam cuiusque vestrum contemtor, & appello) ex ædi-  
 ficare novam quandam DOMVM, amplam, augustam,  
 regiam, ex virtutibus, velut lapidibus. Præterea, do-  
 cere quemlibet è vobis eandem in se practicè erigere,  
 secundum omnes Architecturæ proportionem, sym-  
 metrias, regulas. Quod si factum fuerit, & erectâ pe-  
 detentim fabricâ, à vobis diligenter attendentibus, &  
 audita ad usum referentibus: me verò, dicente, docen-  
 te & modum exædificandi com monstrante, nescio sanè  
 quid ad perfectionem Adolescentis, Viri litterati, aut  
 cuiuslibet hominis Christiani possit desiderari. Est  
 itaque utilissima illa materia, & longè latèque diffusa.  
 Quippe, quæ omnia Christianæ Religionis mysteria,  
 virtutes omnes, omnia Evangelia. & in iis documenta  
 quæ continentur, vniuersa complectitur, in ordine ad  
 ynam Domum in Anima fabricandam: aut ad trans-  
 formandam Animam nova Architecturæ Chri-  
 stianæ metamorphosi in Domicilium  
 Divinitatis.

( : : )

A R -



## ARTICVLVS II.

## ANIMA HOMINIS IYSTI EST

Domus, Basilica, Templum,

*Et in eâ adificatur Domus Dei.*

**E**ST Anima sanctitate iustitiæ ornata, & virtutibus instructa pulcherrimum & sumptuosissimum, si quod vnquam alicubi extitit, aut etiamnum est in orbe terrarum vllibi Palatium. Palatium dico? immò Basilica, & Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii; Spiritus Sancti Regia. *Si quis diligit me, inquiebat Christus Dominus, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum. Et ad eum veniemus, & Mansionem apud eum faciemus, Joannis XIV. Noscitis, Aiebat Paulus Apostolus, quia Templum DEI estis & Spiritus sanctus habitat in vobis? i. ad Corinth. III. comminabatur idem: Si quis Templum DEI violaverit, disperdet eum DEUS, Templum DEI Sanctum est, quod vos estis. Denique assertiuè: Vos estis Templum DEI vivi, Secundæ ad Corinth. VI. Itaque Domus DEI. Quod non Corinthiis tantum, sed Christianis omnibus, si sint, quales esse deberent, est dictum. De eâ autem, si de ullâ alia verissimum est Regis sanctissimi effatum: *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui adificant eam. Per DOMVM autem in eo versiculo intelligitur, Primò, sensu literali, Templum Salomonis Ierosolymitanum, ex lapidibus extructum; & consequenter, quælibet Domus ad habitandum idonea. Secundò, sensu mystico, Ecclesia fidelium. Tertio, eodem sensu, Anima hominis verè Christiani. Quarto, sensu tropologico, Ædificium ex virtutibus in Anima erectum. Nam quolibet sensu, DEI ÆDIFICATIO sumus, & Templum,**



Pauli atestatione & loquendi modo (1. ad Corin. viii. 9. 16. 17, cap. vi. 19.) quo constat, ad officium tum Concionatoris industrii tum Auditoris attentis spectare eam domum extruere.

CERTE, is missus ad prædicationem Euangelii, optimus Concionator, dicebat se potestatem à Domino accepisse in *Ædificationem*, hoc est, ad *Ædificandum*, 1. ad Corinthios tertio decimo; nominans se *Architectum* sapientem, 1. ad Corinth. tertio. Nam posuit DEVS in Ecclesiâ Pastores, Doctoresque ad *Ædificationem*, ad Ephesios iv. Monet autem idem Apostolus, quod ad Auditores pertinet, ut *Ædificemus alterutrum*, primæ ad Thessalonicenses v. *Ut quæ Ædificationis sunt Invicem custodiamus*, ad Romanos xiv. *Ut vnusquisq; placeat proximo suo in bonum ad Ædificationem*, ad Roman. xv. Ut intelligamus nos *coedificari*, veluti *lapides viuos*, (1. Petri 2. 5. 2. Pet. 6. 16. 1. Corinth. 3. 16.) denique, ut *omnia ad Ædificationem fiant*. 1. ad Corinth. xiv. Sic enim *Domus DEI* in nobis & proximis nostris *ædificabitur*. Felices Vos, si ut *Sapientia*, cuius ea est *Domus*, operam dare cæpistis, quilibet in suâ classe, quilibet pro suo modulo, quilibet secundum gratiam sibi cælitus communicatam; ita ab hodierno die, magno animo, iunctis viribus, ardore inflammato, verbis & exemplis *Ædificare* incipiatis *Domum Sanctitatis*, quam inhabitet Sanctus Sanctorum, & vobiscum jugiter commoretur.

\* \*  
\* \*

AR-



## ARTICVLVS III.

## DEI PRINCIPIS ARCHITECTI

*Ædificatio necessaria est, ad extruendum in Animâ  
Domum Sapientia, & Virtutum.*

**V**ERUMENIMVERO non excidat vnquam magni Regis effatum illud: *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*: ac proinde quilibet sibi persuadeat, non posse ullum mortaliū in anima vel suâ, vel alterius, ædificare Domum DEI, quæ fundatur credendo. sperando erigitur, proficitur diligendo, ut pronunciat Augustinus *Serm. xii. de ver. Apost.* absque illo, qui primarius est *Architectus*, & qui ædificat principaliter Ecclesiam Christus. *Matthæi xvi.* Et sine quo nihil possumus, *Joannis v. ne cogitare quidem*; cum omnia sufficientia ab illo sit, secundæ ad *Corinth. tertio.* Hanc Domum, inquit idem Augustinus: *lib. xvii. de Civi. Cap. 12. nos ædificare, benè vivendo, & DEVM, ut benè vivamus, opitulando.* Origenes quoque *lib. iii. Periarch. cap. ii. & in Epist. ad Rom. cap. 9.* seridè monet scire debere homines, quod quæcunque ædificantur sine DEO, vanè ædificari, & in omnibus, quæ benè ædificantur, DEVM auctorem esse: non idcirco tamen debere fideles ab ædificando cessare.

EST autem *Domus DEI*, quam ædificat, & per se, & nobiscum DEUS, tam ampla, ut Innocentius Papa *iii. Sermone secundo de Communi Apostol.* explicans istum versiculum *Psalmi. cxxvi.* nominet *Civitatem Regis Regum*, quam distinguit in *Celestem Ecclesiæ triumphantium, Terrestrem Militantium, Spiritualem Animæ fidelis, & Corporalem miserabilis Jerosolymæ*: multa que habet, de fundamento, muris, turribus, propugnaculis, portis ad *Architecturam spectantia, quæ suo loco, in tempore considerabimus.*



## ARTICULUS IV.

## SERMO DE ÆDIFICATIONE

*Domus Sapientiæ quomodo sit futurus fructuosus.*

SERMONIS hujus de ædificando in se Domum DEI quæ eadem est Sapientiæ, fructus erit multiplex; imprimis si Adolescentes, quæ audiverunt, ad mentem sapius referant, & ad manum, sive ad usum: nam quæcumque dicta sunt, utilia iis erunt, si ad usum referantur, sicut gladius, si è vagina educatur, cum illius est usus, ac usurpetur. Deinde, si vt renovarunt studia litterarum, ita restaurent Virtutum, ac Pietatis Christianæ. Præterea, si, quo sunt adfectu, & ardore ad novos novæ Scholæ labores, eundem indefessi conferant ad cultum diuinum studiumque. Denique si eo tendant omnes ut Animam quisque suam transformet in Templum DEI vivi, ac Domum Sapientiæ. Quod fiet, si in eâ fabricam erexerit, non minus Virtutum, quam Scientiarum: nam ex iis constat *Domus Sapientiæ*. Quod cum non sit opus humanarum viriû: nam, *Nisi Dominus Ædificaverit hanc Domum, frustra laborant, qui ædificant eam*: advocandus est in auxilium Princeps Architectus, DEUS, seu *Sapientia æterna*: invocandus non tantum semel, sed sapissimè: non solum initio studiorum, sed etiam in medio ac fine; non tantum modò mane, sed & meridie, ac vesperi: invocandus interdium ac nocte. Advocatur autem, & si debitè advocetur, propitius advenit, & opus inchoat, ac consummat: advocatur, dico clarissimè, ac simplicissimè, Oratione, Confessione, & Communionem sacrâ.

QUÆ si à vobis frequentata fuerint, vt oportet, addico, & vobis spondeo, tum hoc studiorum initio, tum  
 toti-



ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 27

totius anni decursu favorem Omnipotentis. Qui benedicat vobis, quod enixissimè precor *benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum; benedictionibus ignis, benedictionibus aëris, benedictionibus aquæ, benedictionibus terræ, benedictionibus corporis, benedictionibus animi.* Ut sitis benedicti totaliter in omnibus membris, sensibus, potentiis: benedicti in oculis, auribus, naribus, manibus, lingua: benedicti in intellectu, benedicti in voluntate, benedicti in memoria: benedicti ubique, benedicti domi, benedicti foris, benedicti in museo, benedicti in scholis, benedicti in templo. Benedicti in officiis omnibus & actionibus, benedicti in addiscendis lectionibus, benedicti in scriptionib<sup>9</sup>, benedicti in disputationibus: benedicti in excogitando, benedicti in perorando, benedicti in agendo: denique, benedicti in principio, benedicti in medio, benedicti in fine. Ter benedicti, & pleni benedictionibus DEI PATRIS & FILII &

SPIRITVS - SANCTI.

*Amen.*



SERMO